



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,  
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]  
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum  
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

**Burchardus <Wormaciensis>**

**Parisiis, 1549**

De Ecclesiarum seruis. xxxii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10722**



litem intulit, sexaginta solidos persoluat, & quod repetit euindicare non valeat, sed præfens ingenuitas, mea vel aliorum bonorum hominum manibus roborata, cum ad stipulatione subnixa, omni tempore maneat inconuulsa.

*De seruatorum ordinatione. Cap. XXXI.*

**D**E seruatorum ordinatione, qui passim ad gradus ecclesiasticos indiscretè promouentur, placuit omnibus cum sacris canonibus concordare debere, & statutum est, vt nullus episcoporum deinceps eos ad sacros ordines promouere præsumat, nisi prius à dominis propriis libertatè consequuti fuerint: & si quilibet seruus dominum suum fugiens, aut latitans, aut adhibitis testibus munere cõductis, vel corruptis, aut qualibet calliditate vel fraude ad gradus ecclesiasticos peruenerit, decretum est vt deponatur, & dominus eius eum recipiat. Si verò auus, aut pater ab alia patria in aliam migrans, in eadem prouincia filium genuerit, & ipse filius ibidem educatus, & ad gradus ecclesiasticos promotus fuerit, & vtrum seruus sit ignotum sit, & postea veniens dominus illius legibus eum adquisierit, sancitum est, vt si dominus eius illi libertatem dare voluerit, in gradu suo permaneat. Si verò eum cathena seruitutis à castris dominicis abstrahere voluerit, gradum amittat: quia iuxta sacros canones vilis persona manens, sacerdotij dignitate fungi non potest.

*Ex eodem cap. 82.*

*De Ecclesiarum seruis. Cap. XXXII.*

**D**E Ecclesiarum verò seruis communi sententia est decretum, vt archiepiscopi per singulas prouincias cõstituti nostram autoritatem sequantur: suffraganei autem illorum exemplar illius penes se habeant, & quodcumque de familia Ecclesiæ, vtilis inuentus aliquis ordinandus est, in ambone ipsa autoritas coram populo legatur, & coram sacerdotibus & omni clero ante cornu altaris sicut in nostra autoritate continetur remota qualibet calliditate libertatem consequatur: & tunc demum ad gradus ecclesiasticos promoueatur.

*Ex eodem concilio, cap. 33.*

*Vt pœnitentes vel digami nõ promoueantur. Cap. XXXIII.*

**V**T digami vel pœnitentes, vel repudiatarum mariti, ad sacerdotium non promoueantur.

*Ex cõcilio Auralat. cap. 3.*